


1677a.

DE
CARDIALGIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ATQUE AUCTORITATE
AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN
UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI,

UT GRADUM
DOCTORIS MEDICINAE 
RITE ADIPISCATUR,

LOCO CONSUETO PUBLICE DEPENDET

AUCTOR

Julius Carolus Voss,
LIVONUS.

DORPATI LIVONORUM.

TYPIS I. C. SCHUENMANNI,
TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCXXXIII.

IMPRIMATUR

haec dissertatio ea lege, ut, quum primum typis excusa fuerit, quinque eius exempla collegio explorandis libris constituto tradantur. Dorpati Livonorum die XV. mensis Maii MDCCCXXXIII.

Dr. Fridericus Erdmann,
Ord. Med. h. t. Decanus.

VIRO

**ILLUSTRISSIMO, EXPERIENTISSIMO,
DOCTISSIMO**

T. F. E. SAHMEN

MEDICIN. DOCT. A CONSUL. AUL., IN CAESAREA LITERARUM UNIVERSITATE DORPATENSI
THERAPIAE ET CLINICAE PROFESSORI PUB.
ORD. ORDIN. ST. WOLODIMIR. ET ORDIN.
STANISLAI EQUIT.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

**SUMMA AD CINERES USQUE PIETATE
COLENDO,**

D 17382

AMICO DILECTISSIMO

EDUARDO MEYER

MEDIC. DOCT.

NEC NON

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

DEDICAT ET OFFERT

AUCTOR.

DE CARDIALGIA.

Sub nomine, *άλγος*, non solum intelligi velim
Sacriores illas et graves sensationes, ex concis-
sis vel distensis nervorum filis ortas (quem sen-
sum verbum hoc, vulgo amplectitur) sed quam-
cunque etiam animi molestiam affectionem, om-
nem vexationem et angorem (quippe quod ani-
mus res externas percipit) in corporis incom-
modis causam sufficientem habentes. Jam vete-
res Pathologi dolorem simplicem, qua est dolor
per se, semper et undique maximo sane jure
symptoma modo dicunt. Sin vero dolor cum
aliis molestiis ab ipso dependentibus conjunctus
exstet, jam non symptoma, sed morbum ipsum
format. Acriores quare dolores, si praecipuum
morbi symptoma efficiunt, morbum ipsum con-
stituere possunt; sin autem ad graviolem mor-
bum accedant vel ex eo dependeant, acutissime-
que cum eo conjuncti sint e. g. cum febre,
Phlegmasia, jam morbi ipsius symptoma habendi
sunt.

DEFINITIO CARDIALGIAE.

Sub nomine Cardialgia, ex verbis graecis *καρδία*, (quo verbo veteres auctores modo cor, modo superiore ventriculi aperturam significabant) et *ἄλγος* composito, non ad fidem verborum et usum vocabuli, superioris ventriculi aperturae sive Cardiae dolorem intelligo, sed omnem potius dolorem in regione epigastrica proprie sic dicta, saepissime autem in scrobiculo cordis, infra et prope processum xiphoideum, quo loco tot Nervi intercostalis et Nervi vagi sese conjungunt ramuli, perceptum. Definitione morbi nostri praemissa, de ejus sede disseramus.

DE SEDE CARDIALGIAE.

Jus nobis tributum esse, sedem hujus doloris in toto stomachi cavo statuendi, nec solum ut plures faciunt, in una alterave ventriculi aperturis, ex eo patet, quod, illis aperturis, et praecipue Cardia, maxima nervorum copia nec non majore sensibilitate gaudentibus, ergo ad dolores magis inclinatis, reliquae tamen stomachi partes, omnino nervis atque sensibilitate nequaquam carent. Sin autem ceteroquin, secundum Galenum, Cardia et secundum Fr. Hoffmannum et Ph. Pinelium Pylorus, prima morbi sedes semper esset, omnes etiam aegrotantes, dolorem istum, primitus saltem, certis illis locis percipere deberent (exceptis casibus, quibus situs quidam ventriculi praeternaturalis aut aliorum abdominis Organorum, Cardialgiae

causam praebuerit). Quod quidem nunquam fere accidit, ut Burserius ¹⁾ jam et Sauvagesius monent, utque, nonnullos tales aegrotos in cura mea habens, ipse expertus sum; nam quisque fere aegrotus et primam doloris sedem, et eam, quam postea, aliis corporis partibus correptis, obtinebat diversissime quidem referebat. Et Fr. Hoffmann eidem sententiae non contradicere videtur, quum pro sententia sua, Pylorum esse primam morbi sedem pugnans, moneat: prius quidem stomachum totum affici posse morbo, quam Cardiam, quum Membrana fibroso-nervosa, cui maxima insit sensibilitas, intus sit obductus. Ceterum nostrae sententiae veritatem ²⁾ Wilrich, Trnka de Krzowitz et cadaverum dissectiones probant, quibus elucet, causae materiales si creassent morbum, non solum in Cardiam vel Pylorum, sed plerumque supra totum stomachum eas distributas fuisse, quod etiam permultae sectionum celeberrimi Boneti descriptiones commonstrant.

DENOMINATIO MORBI.

Historiam Medicinae perlustrantes non fugit, morbum istum veteribus jam non ignotum fuisse; Hippocrates enim sub nomine passionis cardiacaе, Celsus sub nomine praecordiorum

1) *Vide: Institution. Medicinae practicae, quas praelegebat Joh. Bapt. Burserius de Kanilfeldt. Vol. IV. Pag. 351.*

2) *Wilrich Dissertatio de Cardialgia §. 12. Helmstädt 1679.*

doloris in commentatione sua de ventriculi debilitate ejus mentionem fecere. Decimo sexto denique saeculo diligentius accuratiusque est tractatus, quo tempore prima fusiora atque copiosiora quaedam de eo scripta invenimus; res tamen semper magnopere confusa erat quum varii auctores diversissime eum definirent maximeque varia nomina ei tribuerent. Ita Felix Plater cordis dolorem eum appellat, Riverius et Bonetius dolorem ventriculi, alii auctores spasmus ventriculi, ardorem ventriculi, Sodam, Pyrosin, Colicam seu Cardiogmum ventriculi, malum cardiacum, Cardilaeam, Rosionem stomachi, Periadyniam, Fr. Hoffmann dolorem cardialgicum, spasmodicum et flatulentum, I. C. Stark inflationem ventriculi. Quae diversissima a variis auctoribus tributa nomina variis sane vehementiae et extensionis gradibus morbus debet, secundum quos symptomata etiam utique varia sint oportet. Jam ex definitione a 3) Sauvagesio, 4) Burserio et Pinelio facta illud patet, qui eum dolorem modo Cardialgiam, modo Gastrodyniam dicunt, tum si inclinatio ad syncopen vel syncope ipsa eum comitatur, tum si talis deest. Equidem autem uni eidemque morbo varios intensitatis gradus et eam ob causam majorem vel minorem etiam symptomatum copiam habenti, haud raro totius morbi decursum comitantium, varia tribuere

3) *Franc. Boissier de Sauvages Nosologia methodica Editio Danieli. Tom. IV. Pag. 139 et 146.*

4) *L. c.*

nomina, aequae nefas puto, ac secundum ullam cujuscumque Organi partem (in qua interdum sedem figit) significare morbum, si in toto Organo sedem habere queat et etiam habeat, ut accuratissimis observationibus cum Cardialgia resesse plerumque habere videtur. Ex iis igitur, quae modo de sede hujus morbi attuli, ut meae fert opinio, elucere existimem, Gastralgiam potius eum nos nominare debere, nec Cardialgiam, nisi nomen Cardialgia, magis notum esset et usitatum.

DIVISIO MORBI.

Cardialgia secundum varias sententias et causas, quae semper medicum perspicacem in distribuendis morbis dirigere debent, a variis auctoribus diversissime divisa est. Maxime quidem pervulgatum distinguendi genus hoc est, ut secundum varias sensationes et symptomata dolore provocata dividatur; inde nomina: Cardiogmus, si sensatio dolens ventriculi rodens est et parvum locum obtinet; spasmus ventriculi, si ventriculus contrahi videtur, ergo si contractio quaedam spasmodica fibrarum muscularium ventriculi adest; 5) Pyrosis, hoc nomine Pathologi ardorem illum et calorem in regione superioris ventriculi aperturae perceptos intelligunt. Alii auctores ut 6) Fr. Hoff-

5) *Vide: Cullens Anfangsgründe der practischen Arzneywissenschaft. Bd. III. Pag. 212.*

6) *Vide: Fr. Hoffmanni opera omnia Physico-*

mannus et Sauvagesius secundum causas morbum procreantes Cardialgiam distribuunt; quare alter dolorem cardialgicum spasmodicum et flatulentum statuit, alter autem Cardialgiam a Saburra varii generis, nimirum biliosam, pituitosam, verminosam et flatulentam, cardialgiam a veneno etc. Quodsi secundum causas occasionales dividere morbum in animo haberemus, arthriticam etiam Cardialgiam haemorrhoidalem, menstrualem, hystericam, hypochondricam, rheumaticam et Cardialgiam gravidarum distinguere possemus. Simpliciter autem ejus et complicationem cum aliis morbis respicientes, Cardialgia et simplex esse potest et complicata, tum propter nexum singulorum Organorum generatim, tum praecipue propter nexum ventriculi cum cerebro, pulmonibus et systemate sexuali. Ratione decursus habita, in acutam et chronicam dividitur. Pro meo judicio ea Cardialgia, quae acuta dicitur, morbus primarius seu protopathicus esse solet e. g. Cardialgia, post coenam et quantitate et qualitate ciborum obnoxiam, orta; Cardialgia contra chronica, maxima ex parte ex morbis antecedentibus exstans, in plurimis ergo casibus, morbus secundarius, vel symptoma tantummodo alicujus morbi habendus e. g. Hysteriae. Justissima autem, et ad Praxin plurimum valens in idiopathicam, sympathicam seu consensualem, et symptomaticeam divisione habetur. Idiopathicam eam dicimus, ubi sedes

medica. Tom. II. Pars. II. Sect. II. Cap. II. §. IV.

morbi causae in ipsa parte laborante, h. e. in ventriculo posita est, sympathicam autem eam, quae non in ventriculo, sed in qualibet remota parte sedem habet, ita ut ventriculus arcissimo tantum cum aliis remotis partibus nexu in morbum inducatur; ad quod genus Cardialgia e. g. ex lapidibus vesicae urinariae renunquae profecta referenda est. Symptomata quidem Cardialgia in multis morbis nervosis nec non in febribus, tum 7) intermittentibus tum inflammatoriis exstat. Idiopathica Cardialgia in perversa functione et turbato nervorum ventriculi tenore proxime nititur, qui status morborum interdum per se ita crescere possunt, ut sine ulla alia causa morbus prorumpat, tamquam naturae medendi conatus, ad restituendam sensationum normam, fortasse considerandus, cum nonnunquam ventriculus, ipso morbo finito, nimia sensibilitate privetur validiorque reddatur. Eandem in nervosam, inflammatoriam et congestivam dividere possumus, si vel systema ventriculi nervosum, vel systema vasorum praecipue patitur. Liceat autem pauca quaedam de hac idiopathica Cardialgiae divisione proferre. Ita arcte conjuncta esse videmus systemata vasorum et nervorum totius Organismi animalis, ut neutrum sine alio existere posse videatur. Ut enim statu normali invicem sese adjuvant, ita status morbosus cujuslibet amborum perturbat functiones. In Cardialgia

7) *Vide: Torti de febr. Lib. III. Pag. 128 et Hippocrates. Sect. IV. Aphorism. 65.*

idiopathica inflammatoria a nobis appellata, quam minorem esse Gastritidis gradum arbitror, quum multa habeat cum ea consentanea, mitiora tantummodo symptomata prae se ferens, et interdum in illam transeat, initio plerumque vasorum ventriculi incitationem percipimus; quae mox et systema nervorum in sympathiam inducit, tantamque in illo perturbationem efficit, ut haec, incitatione (Erregung) vasorum illa morbosa jam diu extincta, per longius temporis spatium morbum sustineat. — Qua ratione ex Cardialgia inflammatoria nervosa oritur, quae, quum sensibilitas nimis adaucta sit, vel morbi perdurantis, vel si jam cesserit, redeuntis morbi causam afferat, quod et omnes Neuroses nec non febres intermittentes facere solent. Ut ex Cardialgia inflammatoria nervosa prodit, ita et vice versa inflammatoria e nervosa; quod experientia quotidiana tot tantisque exemplis probat et quod quisque sane intelliget ante oculos habens, quam facile doloribus motiones vasorum spasmodicae efficiantur, ex quibus congestiones sanguineae, vasorum contractiones, denique ipsa Diathesis phlogistica prodeunt. Igitur nervosa Cardialgia, etiamsi ab initio nervosa jam esset, saepius rediens et per longius tempus perdurans, nonnulla inflammationis signa proferre amat. Ita indoles nervosa inflammatoriam provocat. Quare, si quando Cardialgiam vel indole inflammatoria vel nervosa plane extare videmus, maximum sane etiam jus habemus Cardialgiam inflammatoriam et nervosam statuendi, idque eo magis, quo illud Theoria et Praxi probatum invenimus. Inter Cardialgi-

am inflammatoriam et nervosam idiopathica congestiva medium tenet locum; quam equidem hactenus idiopathicam appellare velim, quatenus irritabilitas adaucta, debilitas et laxitas ventriculi ipsius vasorum saepissime causam originis praebent, quamquam non sit ignotum congestiones sanguineas in illas partes et ex aliis causis profectas esse posse. Cardialgia sympathica eodem modo dividi potest, quo Cardialgia idiopathica; quum autem haud raro pro reflexu aliorum morborum nervosorum habenda sit, plerumque etiam nervosam indolem induit. Quodsi apud auctores Cardialgiam non in inflammatoriam, congestivam et nervosam distributam reperimus, ut nos eam distinguimus, ex plurimis tamen, quae de ea attulerunt, eos nobiscum plus minusve consentire, patet, e. g. ex ⁸⁾ Trnka de Krzowitz, ⁹⁾ Schmidtman co loco, quo de discrimine Cardialgiae a Gastritide et sinistri hepatis lobuli inflammatione loquitur.

DE HUIUS MORBI NOTIONE ET SYMPTOMATIBUS.

Definito supra morbo, jamjam eum ut affectionem ventriculi in certo quodam dolore

8) *Vide: Trnka de Krzowitz Historiae Cardialgiae. Cap. II. Pag. 8.*

9) *Vide: Summa observationum medicarum auctore Ludov. Jos. Schmidtman. Vol. III. Pag. 207.*

constare audivimus, plerumque in regione scrobiculi cordis locum habente, tum autem, et saepissime quidem, in sinistro, tum in dextero stomachi latere percepto, et prout variae causae eum protulerint variosque habeat intensitatis atque extensionis gradus, ab aegrotis diversissime significato. — Quare, modo ut dolor gravaticus atque premeus in regione praecordiali; susceptis nutrimentis praecipue auctus, modo ut dolor acer, lancinans, rapidus, mordens et pungens apparet. Alii aegroti sensationem habent, tanquam ventriculus dilaceretur et discerperetur; alii querelas faciunt de sensatione, tanquam stomachus constringeretur et contorquetur. Quod quidem doloris genus maxime vexans et crucians, optimo sane jure, spasmus ventriculi appellare licet, quum fibrae ventriculi musculares, spasmi in modum, sese contrahant. Alii ardorem et calorem in superioris ventriculi aperturae regione accusant, quae per oesophagum in fauces adscendens, saepe calidum quoddam et acerbum vel etiam acidum fluidum, in os secum ferat. — Qui status morbosus a multis auctoribus, pro genere doloris ventriculi proprio habitus, nil autem aliud, nisi minorem ejus gradum efficiens, Pyrosis nominatur; quo nomine tamen 10) Dr. C. R. Pemberton, illum intelligit dolorem, qui in ventriculo cibus omnino ca-

10) *Vide: Practische Abhandlung über verschiedene Krankheiten des Unterleibes von Dr. C. R. Pemberton, nach der 3ten Ausgabe aus dem Englischen übersetzt von Dr. Gerhard von dem Busch. S. 106.*

rente, ex adaucta innormali secretione tunicae ventriculi mucosae existat, et quocum vomitus simul vapidi, interdum tamen subacidi fluidi, appetitus magnus, sitis ingens et atrophia maxima, conjuncta, exoriantur. In ventriculi dolore, a nobis descripto, scrobiculum cordis, saepius autem et totam ventriculi regionem, interdum adeo sensibilem offendimus, ut levissima quaeque compressio in eum facta dolorem augeat, vel si cesserit, denuo renovet; quare tales aegroti vestes quodammodo in regionem ventriculi prementes dilatare coacti sunt. — Aliis autem momentis dolor mitior leniorque reddi videtur, ut dorso prorsus inclinando, vel in regionem epigastricam vehementissime premento. — Quod attinet ad extensionem doloris, non solum scrobiculum cordis semper et eas abdominis partes, quas obtinet ventriculus, occupat, sed etiam dorsum, Hypochondria, fauces, nec raro pectus ipsum et scapulas, quod ultimum et mihi data est facultas observandi, et celeberrimus 11) Horn in nonnullis exemplis ejus rei mentionem fecit. Cum hoc praecordiorum regionis dolore signa quaedam characteristicae: brevis atque difficilis respiratio, major vel minor anxietas, ructus, vomituritio et in Paroxysmo vehementissimo vomitus ipse conjuncta exstant. — Quae symptomata in quocunque Paroxysmo constare solent; habent autem secundum variam morbi intensitatem, variam vehementiam, quare

11) *Vide: Horn's Archiv für medicinische Erfahrung. Bd. VI. 1 Hest. Berlin 1807.*

saepe alia symptomata accedunt. — Ita aegrotis stomachus interdum dependere et velut in aqua natante videtur, quibuscum sensationibus autem frigus et ingens contra omnia incitamenta torpor in isto percipitur; quae quidem tum praecipue accidere solent, quum suppressa Podagra et in ventriculum retrogressa, Cardialgiae causam praebat. Interdum etiam in scrobiculo cordis, magis autem versus dexterum latus, forma et magnitudine ovi tumorem animadvertimus; in aliis subinde casibus tota regio epigastrica et saepe Hypochondria collapsa, in aliis porro tensa atque inflata, cum borborygmis et respiratione molesta apparent, praecipue quum flatu coerceantur et Diaphragma, quominus descendere possit, impediatur. Quae cum ita sint, ad Cardialgiam saepissime dolores colici accedunt. Nec raro quidem aegroti Sodam et Pyrosin significant; perraro autem inquietas, jactatio frequens et permolesta deest, quarum extremitatum algor, mortui instar facies pallida vel color plumbeus, frigusque faciei nasi cacuminis et labiorum, plerumque comes est. Per consensum et aliae corporis partes spasmi corripuntur, unde depravatio (Verzerrung) illa oris, tremitus vel extremitatum contractiones, singultus, musculorum oesophagi et abdominis spasmi, pallida atque rara urina vel etiam Dysuria et Ischuria ipsa, pulsus contracti, irregulares, exiles, interdum etiam intermittentes. Aegroti vertigine corripuntur, vel simplici vel caliginosa, pulsatione in praecordiis, sensuum obnubilatione, prostratione virium et defatigatione aliisque

gravibus ¹²⁾ sensationibus. Perraro febris observatur; quae si adest, causam Cardialgiae maxime efficit. Quodsi per Cardialgiam mors adducitur, quod quidem, ut omnes auctores inter se consentiunt, rarissime evenit, semper ingentes sudores et deliria ei antecedunt. Symptomata, quae modo attuli, Cardialgiam in majores gradus provectam comitari solent. Nunc rationem habemus status Organismi in intermissionibus morbi, deinde nonnulla adhuc symptomata, quae in decursu morbi apparent, diligentius consideremus.

Digestio quidem minime turbata apparet, quod et consistentia et adspectus faecium probant. Cibi plerumque retineantur, nec totius Organismi nutritio ullam patitur turbationem. Mox autem fames plus minusve mutatur, nam vehementissima evadit, sed vix deglutitis cibis, maximae cedit satietati et vixdum coena finita, denuo renovatur; quod improviso quidem et ita saepe accidit, ut aegroti coacti sint cibos admovere lecto, ut, si velint, media etiam nocte extemplo iis frui possint. In aliis casibus, admodum vero raro, appetitus omnino deest, et lingua obducta gustusque turbatus offenditur. Sitis quidem aucta, interdum etiam vehementissima, quamquam nec febris adest, nec secretiones in universum, adauctae sunt; dico quidem in universum, quum nonnulla exempla

¹²⁾ Vide: *Handbuch der Pathologie der sogenannten chronischen Krankheiten, zum öffentlichen Gebrauch und zum eigenen Nachlesen für angehende Aerzte und Wundärzte von Willh. Friedrich Dreyfsig. S. 354.*

afferantur, quibus et Cardialgia aegrotantes aequae ac Hypochondriaci et foeminae hystericae maximum in modum salivam ejecisse dicuntur; quod sane ex adaucta glandularum salivalium secretionem, per ventriculorum consensu affectarum tantummodo enucleari possit. Alvus raro deponi solet, interdum omnino etiam obstrui, ubi materiae excernendae duriores fiunt; interdum autem secundum Dreyssig et faeces molles offenduntur.

Quodsi malum nostrum chronicum tenet decursum, post aliquod temporis spatium, quod per plures etiam annos perdurare potest, secundum observationes a Trousseau et Bonnet Parisiis factas functiones uteri apud foeminas mutari incipiunt. Menstruatio perturbatur et irregularis fit, nullo tempore vel duratione obstringitur, quum per longiora vel breviora temporis intervalla appareat et similem in modum rutilus desinat. Parva praeterea sanguinis menstrualis quantitas; nec tamen rubra secerni solet. Sive incipiant menses, sive desinant, fluxum tamen mucosum per totum tempus, inter duas Menstruationis periodos jacens, perdurantem exoriri plerumque videmus. Dolores etiam in utero percipiuntur, qui in regionem lumbarem et sacralem, et in anterius usque pelvis latus sese extendunt, mensibus ineuntibus saeviores fiunt, omnino autem graviditate delentur, post partum tamen denuo redeunt. Quas quidem mutatas uteri functiones productum modo Cardialgiae nos habere, nec aliter quam per consensum intra uterum et ventriculorum, de quo jam supra monui, explicari posse, luce clarius est.

Ut autem uteris mali particeps est ventriculi, ita et cerebrum, quum illud arctius adhuc conjunctum sit cum ventriculo, quam uterus. Quare Cardialgiam, si quidem per longius temporis spatium perduraverit, a Cephalalgia semper supratam reperimus, quae, morbi secundarii, aequae ac morbus primarius, ab quo dependet, in Paroxysmis praecipue exisat, sedemque in osse frontis et temporum, rarius in osse occipitis habent, saepissime etiam cum tintitu et susurru aurium conjunctae sunt.

Unum ex rarissimis, et ad severiorem Cardialgiae decursum accedentibus per consensum symptomatibus, palpitatio cordis est, quae nimium ex mutata cordis vitalitate solummodo, originem ducit, quum, susceptis cadaverum Autopsiis, structuram talium aegrotorum cordis plane normalem fuisse expertum habeamus. Quo in casu Sthetoscopio cordis regionem exploraturus, satis magnum repulsum et sonitum folle quasi effectum in anteriori pectoris parte percipies. Quae cordis palpitatio saepe ita molesta fit, ut quae agant et faciant aegroti, si modo summo impetu et labore opus est, omittere coacti sint. Aegrotos etiam ita defatigat, ut credideris, eam palpitationem ex nimia cordis dilatatione ortam esse; facile autem errorem intellexeris, tecum reputans, nullum eorum symptomatum, excepto sonore illo et repulsione, quae ad maximum dilatationis cordis provecctae momentum pertineant, adesse. Ceterum remotio hujus incommodi contingens, si conveniens tractatio accedit, certiores nos faciet in diagnosi nostra, et magis magisque sententiam

nostram affirmabit, non vitium organicum sed dynamicam tantum a norma declinationem, palpitationis cordis causam fuisse. Eadem causa, qua palpitatio in Cardialgia existit, animi deliquia, ut plures auctores loquuntur, efficit. Quae deliquia ad paroxysmos morbi graviores spectantur accedere, eosque designare solent. Attamen corpus non solum morbo nostro afficitur, sed animus etiam magnae commutationi subjectus est, quod imprimis apud feminas accidere solet. Aegroti „qui antea hilares erant et laeti, tristes fiunt animoque demissi, et cum in impetu morbi tum in intermissionibus, invictam ad Melancholiam inclinationem ostendunt. Timor et anxietas eos prosequuntur. Qui aegroti saepe verbis parcentes sunt, vel si sensibilitas morbosa crescit, (cum totum nervorum systema partiali nervorum stomachi malo afficitur) quod plerumque in Paroxysmis fieri solet, exagitati sunt et loquendi studio efferuntur. Cardialgia ut omnes Nevroses, quibus optime jure adnumeratur, Paroxysmos et intermissiones habet, quorum hae quidem, si malum celeriter decurrit, remissionibus propiores sunt. Tempus, quo vel morbus noster omnino, vel singuli ejus Paroxysmi oriuntur, maxime diversum est. Totus morbus nonnumquam plures hebdomades perdurat, immo menses et annos. Mihi quidem occasio obvenit curandae talis aegrotae, quae jam per quinque annos malo hoc cruciabatur. In aliis casibus decursus ejus brevi tempore absolvitur. Paroxysmi singuli, qui initio intervallo trium vel quatuor dierum redeunt, postea vero crebriores sunt, et quotidie vel saepius

etiam intra 24 horas oriuntur, nunc quadrantii horae, nunc tota hora, nunc multo longiori temporis intervallo decurrunt et ad finem perducuntur, secundum diversam indolem et diversam vim ipsorum aequae ac secundum causas. Omnino autem putant, quo major vis eorum sit, eo citius eos decurrere, nisi certis in casibus mors ipsa accedat. Ciborum usus creberrima redeuntium Paroxysmorum est causa, qui, si cibi sumti minime cum digestionis viribus congruunt, vel statim epulis confectis, vel saepius duabus, tribusve horis post sequuntur. Dr. Pemberton dolorem, qui repleto stomacho existit ex irritabilitate membranae muscularis stomachi proficisci putat. Alio vero tempore dolorem accidentem et exacerbatum videmus, nulla coesa praegressa et stomacho cibus non repleto. Quocum dolore si vomitus magnae humoris copiae conjunctus est, qui vel omni gustu caret vel acidum habet saporem, Dr. Pemberton, qui hunc statum Pyrosin Wasserkolk vocat, recte judicare videtur, si eundem ex aucta et innormali secretionem glandularum membranae mucosae stomachi originem ducere putat. Saepius tamen in doloribus, qui praecipue dum stomachus vacuus est, oriuntur, omnino vomitum illum non invenimus, quae res ut aliam causam, quam quae a Pembertonio allata est, tunc statuamus, nos adducit. Paroxysmus nonnumquam incerto diei tempore oritur, nonnumquam statim post somnum vel noctu etiam, quales a Heistero plures observati sunt casus. Saepes diaeta violata, vel animi effectus causam Paroxysmi praebent. Interdum Paroxysmi ne-

quaquam ex his causis sequuntur, sed certis et finitis intervallis redeunt, ut eequidem uno casu post quatuordecim dies, altero vero, in femina non admodum juveni, tempore incipientis Menstruationis semper eos redeuntes videbam.

DIAGNOSIS VARIÆ INDOLIS CARDIALGIAE ET DISCRIMEN EJUS AB ALIIS COGNATIS EI MORBIS ADJACENTIUM ORGANORUM.

In dividenda Cardialgia et idiopathicam et consensualem eam esse demonstravimus et simul utramque variam indolem, eamque nunc inflammatoriam, nunc congestivam, nunc nervosam assumi posse vidimus. Quam a nobis statutam partitionem quum probavisse nos putemus, hac quidem in re nihil reliquum est, quam ut, quomodo hae indoles invicem distinguantur, jam disertius explicemus.

Cardialgia, quae inflammatoria natura est, praecipue phaenomenis gastritidis cognoscitur, quamquam haec non tam perspicuo nec tanto gradu apparent, quam in inflammatione ipsa. Cardialgia inflammatoria pariter atque inflammatio stomachi, magis constans est et permanens in phaenomenis suis; quare Paroxysmi et intermissiones doloris non tam, aperte discerni possunt, sed dolor potius usque ad plenum morbi decursum, quamquam non semper eadem vi, permanet. Dolor autem pressu et saepius levissima tactione augetur, non minus quam inspiratione. In hac doloris indole saepissime fit,

ut aegroti vestes e regione stomachi removeere studeant. Excepti autem a norma ii sunt casus, in quibus dolor premendo et inspiratione minime acuitur. Semper vero dolor acerbior fit, sumtis cibus, praesertim iis, qui irritantibus et acribus adnumerantur, quapropter eum spirituoso- rum et salsorum ciborum usu acriorem fieri cognoscimus, blanda vero alimenta stomacho non recusante. Tota stomachi regio et hypochondria tensa sunt, et temperatura eorum major quam normali in statu. Ceterum, tum ratione totius corporis constitutionis aegrotorum habita, qui vulgo plethoricum adspectum praebent et bene nutriti sunt, tum omnino vivendi eorum rationem contemplantes et causas morbi efficaces, et medendi rationem, incitantium scilicet medicamentorum pravum successum demulcentium vero et remediorum antiphlogisticorum optatum eventum, facile inflammatoriam Cardialgiam a nervosa discernemus

Genus (Abart) quoddam Cardialgiae inflammatoriae ideoque una eademque indole, qua haec dolor stomachi est, qui arthriticis et rheumaticis causis efficitur. Rheumaticae Cardialgiae, quae tempore antemeridiano remittit, Paroxysmi praecipue post meridiem et vesperi apparent, et saepe ad noctem perdurant, quo tempore gravissimi esse solent. Rheumatica ceterum Cardialgia crebro cum aliis ejusdem generis doloribus pariter atque cum dolore inter scapulas conjuncta est. Arthriticis causis effecta Cardialgia eadem fere ratione, qua rheumatica, apparet.

Congestiva Cardialgia, quae inter inflammatoriam et nervosam medium tenet, mitior est

quam illa, anamen plerumque pariter in phaenomenis suis, perdurans, nonnunquam etiam periodica est; quo in casu Paroxysmi semper cum symptomatibus irritationis systematis vasorum conjuncti sunt, ut cum sensu palpitationis arteriarum, actus sanguinis, volatici et surgentis caloris. Dolor ipse tum magis urens et pungens esse solet, sumtisque alimentis augetur. Diagnosin hujus Cardialgiae ratione habita et constitutionis, et vitae generis et causarum antecedentium, quam maxime confirmatur. Homines bene nutriti, qui majorem vitae partem sedentes agunt, imprimis ad hanc doloris stomachi indolem inclinati sunt, sicut omnino optimo jure eandem ibi statuere possumus, ubi evacuationes humorum nimiae, ut graves sanguinis jacturae causam altioris irritabilitatis et laxitatis vasorum parietum praebebant. Experientia vero docti etiam Cardialgiam, quae ad organica cordis vitia accedit, congestivam esse statuere possumus.

Cardialgia nervosa, ab utraque explicata Cardialgiae indole, periodica natura, quae omnino Nervosium indolem designat, distinguitur. In neutro ceterorum Cardialgiae generum intermissiones et Paroxysmos tam accurate expressos, tam acriter sejunctos, quam in Cardialgia nervosa invenimus. Intermissiones quidem liberae sunt ab omni molestia, Paroxysmi contra graves, vehementes. Aegroti sensum habent, tamquam si ventriculus constringeretur et spasmi instar contraheretur. Phaenomena celeriter extant, rursusque evanescent. Ad dolorem spastica accedunt phaenomena, ut singulus, ructus,

vomititiones, et hic in Paroxysmis facies pallida angorem exprimit, extremitates frigidae fiunt, pulsus contracti irregulares observantur. Sicut Cardialgia inflammatoria cibis captis incitabatur et augebatur, ita eadem in Cardialgia nervosa valet ratio, hoc tantum discrimine, quod res insalvae, antiphlogisticae et non irritantes, hanc imprimis efficiunt, quum contra irritantes et calefacientes cibi eam potius compescant. Ceterum et hic ad confirmandam et stabilendam Diagnosin multum valet contemplatio totius constitutionis et causarum; si igitur Cardialgia apud sensibiles personas, ut apud feminas lactantes, quae hoc tempore majori sunt, quam unquam, sensibilitate, praegressis animi affectibus exoritur, facile quisque nervosam esse Cardialgiae naturam conjiciet, etiamsi, aegroti nondum conspectu, casum narratione tantum acceperit.

Si Cardialgiam semper eadem, quae efficit et quibus cognoscitur, phaenomena eodem tempore prosequerentur, diagnosin ejus attento et diligenti observatori nequaquam difficilis fieret, neque reddi posset; creberrime autem et praecipue morbi in principio, plura istorum phaenomenorum desunt, et quae cognosci possunt non semper accurate expressa sunt, quo fit, ut certis in casibus Cardialgiae diagnosin, nisi morbus etiam in decursu suo observetur, constitui non possit; accedit quod stomachus aliarum etiam affectionum, quae lente et leniter serpunt, sedes esse potest, scirrhum dico ventriculi, gastritidem acutam et chronicam. Posterior, veteribus ignota, cum Cardialgia non raro confundeatur, sicut

haec hodie etiam a Cel. ¹³) Broussais, fautoribus discipulisque ejus, effectus et sequela gastroenteritidis chronicae esse putatur. Aliae etiam adjacentium organorum affectiones diagnosin Cardialgiae incertam reddere possunt, quippe quae magnam cum morbo nostro similitudinem habeant. Quibus de causis mihi quidem non parvi momenti esse videtur, affectiones illas praecipuas, quibuscum Cardialgia confundi possit, hic afferre, et discrimina maxime memoratu digna, quae inter Cardialgiam et quamque harum affectionum obtinent, hoc loco quam enucleatissime possumus edisserere.

A Gastritide acuta, quae Cardialgiae inflammatoriae similis est, praecipue ea de re, quia utriusque causa proxima, re quidem una eademque est et gradu tantum differt, ut jam supra a nobis est commemoratum, noster morbus eo discernitur, quod hominem non tanto impetu afficit, neque a febre stipatus esse solet, quod sitis non tam vehemens est et magna, quod lingua minorem siccitatem ostendit ejusque papillae non tam evolutae, margines vero et extrema pars non tam perspicue et intra certos terminos rubore offusa apparent, quod pulsus non tam accelerati sed contracti et exiles saepissime animadvertuntur, quod stomachus non tam pertinaciter, quam in inflammatione ipsa, medicamenta et cibos, etsi minime irritantia, recusat, quod vomitus a doloribus liber est (quum in Gastritide contrarium plane accidat, quod nos pathognomonicum

13) *Vide Examen des Doctrines Medicales et des systemes de Nosologie par F. J. v. Broussais. Tome premier. Pag. XXXVI. §. CXLX.*

signum esse judicamus), denique quod dolor nunquam illam vim continuam exhibet, neque tam pungens est, et, quamquam constans, tamen plus minusve remissiones admittit, et quod morbus noster crebro et saepe periodice revertitur.

Gastritis autem si febris exers, occulte serpens, vitae germina diruit, chronica igitur est, amborum morborum diagnosi medico difficilima redditur. Tum vero haec diligentius spectanda esse videntur.

Dolor in Gastritide chronica semper adest, sed hebetior, et tantum pressu in regione epigastrica facta, qui semper eum auget, aut etiam solum cibus assumtis distinctus redditur. In Cardialgia dolor acer est, lancinans, dilacerans, transitorius, remittens aut intermittens, nonnunquam pressu augetur, crebro tamen diminuitur aut interdum lenitur. Lingua in chronica Gastritide plerumque contracta est, margines et extrema pars rubrae, media contra valde obducta. In cardialgia haec non fiunt, linguam enim albam, spurcam et extensam invenimus. In Gastritide chronica Appetitus vel jacet, vel plane nullus est, aut si quo modo excitatur, aegroti eum explere timent, quia vel minima ciborum, imprimis irritantium, parte sumta dolores, inflammationem comitantes, excitantur et motus febriles efficiuntur. In Cardialgia Appetitus diversus est. Normalis est, raro deficit, plerumque ad maximum usque gradum auctus. Dolorem crebro, irritantibus cibus captis, mitiorem videmus. Praecipuum vero amborum morborum discrimen existimare debemus, quod chronica Gastritis, quatenus processus totus formationis (Pla-

stik) afficitur, in decursu suo nunquam notabilem et exitiosam processum digestionis et nutritionis turbationem non efficit, quo fit, ut aegroti habitus in deterius mutetur, faciei lineamenta collabuntur et rugosa fiunt, et aegroti celeriter marcescentē vires evanescent. Quod si Gastritis chronica cum his perturbationibus non recte cognoscitur et curatur, mortis causa fit, quae, febris hectica plerumque postea accedente, serius ocium adventat. Cardialgia vero homines, decem, viginti annos, immo per totam vitam cruciatos videmus, processibus commemoratis et viribus vel nequaquam vel certe non tam graviter affectis, nullam febrem invenimus, ad speculum validum saepe retinent et non amittunt.

Jam igitur si Cardialgiae et chronicae Gastritidis propria et peculiaris symptomata contemplamur, si tempus et modum initii, successus, diurnitatis, et decursus eorum observantes, simul aegroti constitutionem, causas occasionales et jam adhibitorum medicaminum successum consideramus, amborum morborum diagnosis non tam difficilis erit, quam primo ad speculum nobis videri solet.

14) Hepatalgia, Hepatitis, ceterique hujus generis affectus, non facile cum Cardialgia confundi possunt, quippe quorum indoles doloris sede et natura, celeri decursu et febrilis status signis, non minus quam ceteris huius morbis propriis symptomatibus satis cognoscatur.

Saepeus Cardialgia cum Colica confunditur,

14) Vide: *De Hepatalgia Dissertatio inauguralis medica auctore Magno Guik. Schmidt. Lipsiae.*

quod quidem medico, qui statum diligenter exploravit, non tam facile eveniet, ab aegrotorum parte saepe tamen fit, quippe qui ambo vocabula eadem significare possunt, plerumque strictiorem stomachi situm non noverint, et quia dolorum sedes obscura est, mutatur, expanditur et crebro revera Cardialgia accedit. Dolores colici saepe non fixi sunt, cum mox in crassis mox in tenuibus intestinis sedem habeant; plerumque tamen umbilici in regione sese contrahunt, hic sentiuntur, ab hinc saepe usque ad renes pervagantur. Dolores gravissimi sunt, plerumque terebrantes; saepe prodromi antecedunt. Nausea, vomitiones et vomitus omnino desunt aut postea apparent, si stomachus in consensum vocatus est. Ceterum commutatio haec, quae apud infantes vix evitari potest, non magni momenti est, cum curatio tum generalis tum topica una eademque maneant.

Molestiae, quae e debili digestionem enascuntur, symptomata Cardialgiae et quidem nervosae putari possunt, ab hac tamen eo discernuntur: quod absentia vel praesentia dolorum praecipue ab usu ciborum aut levium aut difficilium concoctu pendet, Cardialgia nervosa contra ab irritantibus et calentibus Ingestis modificatur, quum his leniatur, refrigerantibus vero et languidis rebus crescat.

Morbus, quem saepe tamquam causam Cardialgiae, saepe vero etiam, diutius et majore cum intensitate durantis, tamquam effectum contemplari debemus, et qui non raro cum eo confunditur, scirrhus ventriculi est. Vix alios duos morbos reperiri posse puto, qui tanta similitudine

sint, quanta inter Cardialgiam et scirrhum ventriculi in primo stadio, qualem ¹⁵⁾ Chardelius eum depingit, obtinet. Similia et paria amborum morborum symptomata enumerare, ut inde sententiam meam affirmem, nimis longum est et a proposito fine nos abduceret; quapropter silentio ea transire, et tantum, quatenus hi morbi inter se diversi sint, demonstrare mihi liceat. Quum scirrhus in primo stadio, ut clarissimi auctores ¹⁶⁾, Richterus imprimis, Vogelius, Broussais et Krukenberg putant, productum Gastritidis chronicae aestimari et hoc modo explicari possit, praeter illa, quae communia huic cum Cardialgia sunt symptomata, ea etiam habemus, quae in chronica Gastritide allata sunt, quapropter jam statim initio concoctio turbata apparet et sensus languoris observatur. Ceterum in hoc morbo et in hoc stadio, aetatis aegroti rationem habere debemus, cum scirrhum ventriculi plerumque apud homines, qui trigesimum aetatis annum jam excesserunt, enascentem videamus, Cardialgia contra creberrime, priori aetate observetur. In secundo scirrhi ventriculi stadio, quod Chardelius statuit, diagnosis non tam difficilis esse potest, quia tum totum corpus affectus particeps est, et stomachi dolor scirrhuo proprius magis constans et gravior fit, certam regionem tenet, et nonnunquam in umbilici regione fixus manet (quod quidem a diversa ejus

¹⁵⁾ Vide: Chardelii *Monographie des degenerations skirrheuses de l'estomac.*

¹⁶⁾ Vide: Dr. August Gottlieb Richter, *specielle Therapie.* Bd. I. Pag. 559.

sede pendet), stomachus vero ipse contrectante manu saepe durus ac tensus apparet, et in eodem tumor circumscriptus animadvertitur, qui nunc majori nunc minori est ambitu, nunc plus nunc minus dolet, plerumque autem ad dexterum latus versus jacet (quo in casu in Pyloro sedem habere solet) et postea perspicue eminentens percipitur, si communi corporis macie, tegumenta abdominis in tumore intenduntur. Si contra scirrhus ventriculi in Cardia sedem tenet, tumor hic non apparet. Vomitus autem jam accedens, qui hoc stadium praecipue designat, etiam a vomitu in Cardialgia discernitur, quum vel statim cibos sumtos consequatur (qui tum immutati et mucos tantum obducti ejiuntur, ex quo sedem scirrhi ventriculi in Cardia esse concludimus) vel postea, ubi cetera accidentia symptomata de praesentia scirrhi pylori nos saepe certiores faciunt. Tertium ventriculi stadium, in quo macies ad summum pervenit gradum, febris hectica sequitur, et vomitus nigrae et pici similis massae locum habet; quum ne minima quidem parte Cardialgiae similis sit, facile a nobis praetermitti potest.

AETIOLOGIA.

Quod ad causam proximam Cardialgiae attingit, ea quidem ab aliis scriptoribus alio modo est constituta. Plurimi tamen eorum quaerebant eam et adhuc quaerunt in peculiari systematis nervosi statu. Sic ¹⁷⁾ Etmüllerus con-

¹⁷⁾ Vide: Dr. Michael Etmüller, *kurzer Begriff der ganzen Arzneykunst.* Leipzig 1717. Pag. 297.

vulsivam stomachi contractionem, quae ex statu nervorum ejus irritato existat, proximam putat causam. Sydenhamius Nervosin illam stomachi, tanquam ex ataxia et irregularitate spiritus animalis existere putat, Fr. Hoffmannus ex vehementiori distensione vel valida contractione partium nervosarum et fibrosarum ventriculi. Rollin causam proximam in sensibilitate systematis nervosi, Pomme in erethismo ejusdem et in spastica quadam contractione positam esse contendit. Cotugui originem ejus a serosa infiltrationem ducit, quae secundum sententiam ejus in hydrope externarum nervorum vaginalium consistit. Roche et Sanson, irritationem, quae, praecipue ad nervorum extremitates pertinet sine magno humorum affluxu appareat, causam sufficientem ducunt. ¹⁸⁾ Pinelius, qui principio morbum nostrum non primum sed secundarium vel symptomaticum existimat et explicat, eundem tamen postea tanquam primariam affectionem tractans, proximam causam ignoto nervosi systematis statu sine structurae mutatione et sine feбри contineri putat. Cujus quidem opinionem multi sectantur scriptores; alii contra cum illustrissimo ¹⁹⁾ Broussais, Nervosas irritationibus adnumerantes, sic dictas nervosas Cardialgias nihil aliud quam Gastritidis chronicae apud sensibiles et irritabiles homines evolu-

18) *Vide: Nosographie philosophique ou la Méthode de l'analyse appliquée à la Médecine par Ph. Pinel. Tom. III. Pag. 208 — 210, 226 — 27 et 231.*

19) *L. c.*

tae symptomata esse statuunt. Broussaisii vero de hac re sententiam, si tironi in medica arte de clarissimo viro tale iudicium ferre licet, equidem cum ab omni parte non ponderatam, tum etiam non rectam esse contendo, quapropter nunquam illa ab omnibus probari potest nec probabitur. Causae, quae contra eam afferri possunt, tales sunt: Homines decem, viginti annos nonnunquam per totum vitae tempus de Cardialgiis querentes audimus, nulla tamen gravi vel habitus eorum vel nutritus mutatione observata. Chronicae vero Gastritides, secundum omnium medicorum experientiam, si tam diu duraverunt, desorganisationes in stomachi structura, nutritionis inde turbationem, marasimum et mortem denique producunt. Morbo igitur tam diu durante, si supra memorata phaenomena non eveniunt, num jam ulla probabilitatis specie statuere possumus, chronicam Gastritidem ibi locum habere? Plures quidem scriptores ut Barras et Georgetius, qui primum Broussaisii sententiam amplectebantur, nonnullos enarrant casus, ubi in aegrotis talibus, quos plus minusve rigorosam antiphlogisticam dietam et eandem curationem diutius observare jubebant, plane nullam emendationem sed depravationem potius totius status animadvertabant, ita ut ab hac curatione, nisi pessimum morbi exitum adducere voluissent, desistere cogentur, cum in illa curatione gravissimi dolores et vomitus diu perdurans post coenam tum liquidorum, tum ciborum existerent et aegroti valde marcescerent. Alii horum, secundum illam theoriam curatorum aegrotorum, post brevius,

alii post longius temporis spatium, magis irritante et tonica curatione, sanabantur. Cum hac methodo talium aegrotorum curatio a Schmidtmanno adhibita optime convenit, qui inter utilissima et validissima Cardialgiae remedia ea praecipue numerat, quae in totum systema nervosum vim habent, et imprimis auctam sensibilitatem diminuunt. Crebro lactantes feminas stomachi doloribus affectas videmus, quos tamen nequaquam ut Broussais e chronica Gastritide ortos esse putare possumus, cum causis debilitantibus remotis vel tonicis medicaminibus adhibitis plane evanescent. Nonne idem de stomachi doloribus, qui saepe Leucorrhoeam sequuntur, dicere licet? Feminae chloroticae et gravidae, persaepe gastricis obnoxiae sunt affectionibus, quae mox vario modo depravato appetitu, mox vomitu, mox magis minusve gravi Cardialgia cernuntur. Nonne etiam has affectiones Nevroses judicare coacti sumus, quae e sympathia inter stomachum et uterum intercedente, oriuntur, cum omnia, quae chronicam Gastritidem comitari solent, phaenomena desint, doloribus scilicet ut in omnibus Nevrosibus intermissiones admittentibus et anti-phlogistica curandi ratione totum statum pejorem reddente? Quibus causis allatis, jure statuere possumus, Cardialgias nervosas, quas Broussais tractat, perperam ab eo pro symptomatis Gastritidis chronicae, et hanc ideo pro causa proxima illarum haberi. Dreyssigius proximam Cardialgiae causam in aucta stomachi sensibilitate et praecipue sinistri ventriculi orificii quaerit. Haasius naturam Cardialgiae in

aucta nervorum stomachi sensibilitate et spastica muscularium ejus fibrarum contractione positam esse judicat. Neque infitiri possumus, multis in casibus revera spasticam talem earum contractionem locum habere, in aliis tamen multum deest, quin etiam nonnunquam contrarium plane, ut Fr. Hoffmannus demonstravit, animadvertitur, quapropter haec quidem sententia totam rem non exhaurit. Quum nervorum et vasorum systemata, ut supra a nobis demonstratum est, tam arcte inter sese conjuncta sint, equidem proximam Cardialgiae causam non solum in aucta nervorum stomachi sensibilitate quae interdum remittit et rursus augetur, quaerendam esse puto, sed etiam periodice irritatam vasorum efficacitatem et sanguinis congestionem ad stomachum, praecipue nostri morbi vim et naturam constituere existimo, quo etiam saepissime, quamquam non semper, contractiones spasmodicae fibrarum muscularium accedunt. Attamen causa proxima hac ratione plane explorata esse minime mihi videtur; nam ut in ceteris nevrosibus ac spasmis, nondum ita innotuit, ut nil reliqui maneret in ejus investigatione.

Inter causas praedisponentes numero: magnam et praeternaturalem sensibilitatem totius corporis in universum et imprimis stomachi, plethoram in universum et praecipue abdominis, sicut etiam statum irritatum vasorum stomachi; quae omnia plerumque vel hereditaria, vel congenita vel, acquisita sunt, et nonnunquam ita augeri posse videntur, ut nullis aliis occasionalibus causis accedentibus Cardialgiam

efficere possunt. Propter exquisitiorem sensibilitatem, quacum plerumque vel certe crebro compages tenerior et summa mobilitas conjuncta esse solet, feminarum sexus praecipue ad hunc morbum praedispositum est, imprimis vero feminae gravidae, et quae variis morbis, ut Hysteria, Chlorosi, Fluore albo et mensibus turbatis affectae sunt; qui morbi, etiamsi non semper, creberrime tamen, si diutius durant, auctam sensibilitatem totius corporis, ideoque stomachi ad proferendam proueniunt. Oppidani, divites, nobiles, litterati, quique vitam sedentariam agunt, crebrius huic morbo obnoxii sunt, quam rustici, qui corporis negotia suscipere multaque motione uti debent, quia in illos causae irruunt, quae sensibilitatem irritabilitatemque augere possunt, tales vero in his vel omnino desunt vel multo rarius inveniuntur. Quod facile patet cogitantibus, quam multi priorum vitam laboribus, inertia, deliciis, gloriae honorisque siti, victus nequitia, animique perturbationibus consumant. Raro in infantibus praedispositio ad morbum, quem tractamus, idonea invenitur, crebrius autem in virginibus et praesertim in juvenibus, qui se masturbatio- ni foedae addixerunt, qua in re Schmidtmannus, ut profert, quaestione diligenter habita nunquam fere se errasse contendit. In virginibus contra, nulla tam turpi causa accedente, haec praedispositio crebro reperitur, quum ad evolutionis aetatem provectae sint (in qua, ut notum est, sensibilitas semper aucta, et affectiones dolorificae et spasmodicae saepissime observantur) et ut Schmidtmanus dicit: vires naturae men-

struum reddere tributum moliantur, eaeque in hoc negotio obstacula offendunt. Morbus, qui viros praesertim ad Cardialgiam dispositos reddit, Hypochondria est et Arthritis; ceterum ad eandem et tota vitae ratione, et intemperantia libidinum proueniunt.

Ad causas occasionales nunc transeamus, easdem singulatim considerantes, propterea quia ad procreationem constitutionemque variae huius morbi indolis magni sint momenti. Inter has numeramus:

Impressiones externas, ut ictus, pulsus, stomachi regionem ferientes, qui eandem fere vim exercent quam:

Magna alimentorum copia in stomachum recepta, (praesertim, quum bonas concoctionis vires poscant, quae, quod dolendum sane, saepissime deficiunt), et res aliquae vel consilio vel infelici quodam casu in ventriculum delatae, ut cultri ²⁰⁾ lacertae, hirudines, acus, et cerasorum ²¹⁾ prunorumque ossa. Quod vermes in stomacho non modo saepe Cardialgiam excitant et reptando et huc illuc se movendo et in unum ejus locum se cumulando, sed mortem nonnunquam afferre possunt, multis exemplis ²²⁾ Bonetus, ²³⁾ Hercules Saxonia et

20) Vide: *Acta Natur. Curiosor. Vol. I. Obs. 107.*

21) Vide: *Archiv für medicinische Erfahrung, herausgegeben von Dr. Ernst Horn 1811. 2. S. 473. — Warnende Krankheitsgeschichte vor dem Genuß der Kirschen mit den Steinen, vom Herrn Dr. Weber in Pirmasens.*

22) Vide: *Boneti Sepulchretum Anatom. pract. Lib. III. Sect. VII. Obs. V et XIV.*

23) Vide: *ejus Praelection. pract. Pag. II. Cap. 7.*

24) Riverius probant. Haud secus res se habet cum calculis, qui interdum in stomacho reperiuntur. De qua vide Boneti Sepulchretum Anatomiae pract. Lib. III. Sect. VII. Obs. XXIX et Schreckii Lib. III observationum.

Venena sensu strictiori, praesertim vero metallica, acria, constringentia, tum, ut dicuntur, obstruentia.

Abusus variorum medicaminum, vel nimia dosi vel intempestive adhibitorum, ut e. gr. abusus Kali nitrici, Melves vesicatorii, Piperis, Purgantium et Emeticorum, praecipue drasticorum. Abusus potuum irritantium, ut spirituosorum, qua de re in potatoribus Cardialgiae saepissime inveniuntur. Inconsideratus usus frigidi potus dum corpus calet, ut in saltando saepe fit, haud raro tristissima Cardialgiarum exempla nobis praebet, aequae ac subita totius corporis refrigeratio, pedum praecipue atque abdominis. Oppressio consuetarum evacuationum, profluviorum quorundam sanguinis e. gr. mensium, sudoris v. c. pedem, vim antagonisticam exercens, qua stomachus redditur pars morbo affecta. Ut haec corporis affectiones, Antagonismo existente, quo stomachus omnium maxime cum pluribus corporis partibus arctissime coniunctus est, et quo oppressa morbosa efficacitas ex hisce partibus in ventriculum transit in eoque se concentrat, Cardialgias procreare possunt, ita multi quoque alii se habent morbi, si subito removentur ac incaute extinguuntur, e. gr. ulcera inveterata (sive natura sive arte provocata), Dysenteriae,

24) Riveri *Praxeos Medicæ liber IX. Caput X.*

Fluxus alvi, Arthritis, Podagra, Rheumatismi, acuta et exanthemata chronica, Haemorrhoides etc. Quidam morbi, in ipso discrimine turbati, stomachum sedem sibi eligunt et Cardialgiarum formam nunc induunt. Puerperae obnoxiae saepe sunt Cardialgiis, quarum causae vel retenta aut omnino oppressa lochia vel alvus adstricta sunt.

Omnibus hisce memoratis rebus Cardialgia inflammatoria praecipue excitatur.

Inter Cardialgiae congestivae faventes eamque efficientes causas sequentia pertinent: exacta restauratio, diminuta existente consumptione, ideoque largior nutritio (praesertim irritantis generis) quam qua corpus revera indiget. Quod creber atque immodicus usus cerevisiae, potuum excalefacientium et excitantium, ut Coffeae, Theae Chinensis, vinorum, spirituum ardentium cum aqua fervente mixtorum (qui a Britannis inventi Punsch et Grog nominati sunt) Cardialgiam et hanc praesertim ejus indolem provocat et efficit. Quod haud difficile intelligitur, si id modo respicimus, quam crebro saepeque in hominibus sensibilibus mox post eorum usum, angor animi, vertigo, cordis palpitatio nec non congestiones proveniant. Quum res, quas modo attulimus, tantam in ceteras organismi partes vim exercent, quanto vehementior et gravior impressio in stomachum, primum alimentorum receptaculum, esse debet? Hoc vero fusius exponere et explicare, extra fines propositi jacet, quare tantummodo ad 25) Schmidtmannum delgamus, apud quem latius hoc explicatum, do-

25) *l. c.*

cumentaue veritatem probantia, inveniuntur. Omnes, quae irritabilitatem vasorum stomachi augere possunt, res, congestivam quoque Cardialgiam excitant, qua de causa crebro post succos cujusque generis amissos, e. gr. post profusos Fluxus mucosos, haemorrhagias, praesertim post Haematemesin, nimiam Menstruationem, itemque post abnormem nimiamque cordis agitationem, existentem eam videmus.

Cardialgiam nervosam persaepe graviditatem sequi observamus, ubi tum e commutato totius nervorum systematis statu provenit, tum vero ex immutatione singularum ejus partium nascitur. Cardialgia nervosa tum primis jam post conceptionem diebus aut hebdomadibus, tum quarto denique mense apparet; nonnunquam vero gravidas tum demum cruciat, quum in eo jam sint, ut mox partum edant, ubi, quam sententiam plurimi auctores sequuntur, non solum commutata ventriculi nervorum sensibilitate, sed etiam pressu, quem amplificatus uterus in stomachum exercet, nasci potest.

Haud raro Cardialgia nervosa inter febres, saepissimeque inter febres nervosas et intermittentes sic dictas comitatas, nempe cholericas et cardialgicas, existit. Cardialgiae nervosae sub forma, saepe etiam febres intermittentes larvatae apparent; nonnunquam autem febres re et intermittentes consequuntur, quum hae negligenter aut perperam curatae sint.

Ut Cardialgia nervosa, praedispositione ad morbum nostrum existente, influxibus psychicis, animi perturbationibus, ira, terrore, sollicitudine, moerore, anxietate, ita etiam nutritu vitioso, cum viribus assimilationis imbecillis

minime congruo ac nimia repletionem ventriculi cum cibis, excitatur. Succus gastricus quoad qualitatem peccans, e. gr. nimis acidus, quibuscunque a causis internis profectus, stomachi nervis irritatis, Cardialgiam saepe, eamque nervosam excitat; eodem fere modo bilis quoque in stomachum irruens, sese habet. Nimiae succorum dejectiones, quibus Sensibilitas totius corporis, ideoque stomachi usque ad extremum augetur, stomachus imbecillis, virium defectio propter senectutem, libidines cocundi appetitu enerwantes, tum creber ejusdem ²⁶⁾ usus, tum masturbatio praesertim, exanthemata acuta prorumpentia ut variolae in sensibilibus praecipue hominibus, vermes in tractu intestinorum, dolores partium externarum, renum bilisque calculi spasticas affectiones partium eisdem continentium incarceratione efficientes, easque stomacho communicantes, variarum corporis humani partium laesiones, v. c. ²⁷⁾ capitis praesertim et gingivae, ²⁸⁾ brachii fractura (haec omnia consensu tantummodo facile causam Cardialgiarum nervosarum praebent.

Transeamus nunc ad vitia organica, non stomachi solum, sed vicinarum quoque remotiorumque partium, quae Cardialgiam commovere possunt, quae vero inter praecipuas causas, fixam morbi nostri indolem provocantes, non numeramus, quippe quae nervosam modo Cardial-

26) Vide: *Hufeland's Journal der practischen Heilkunde* 1827. Bd. 65. VI. St. S. 60.

27) Vide: *Solenander Consil V.*

28) Vide: *Forestus L. XVIII. Obs. 26.*

giam, inflammatoriam modo et congestivam excitent.

Quod ad talia vero vitia ventriculi ipsius attinet, innumerabilis eorum copia ab auctoribus affertur. 29) Maximilianus Stoll e. g. nobis narrat, se, obductione sutoris cujusdam triginta et quatuor annos nati, et intra duodecim annos vehementissimis Cardialgiis laborantis habita, vasa ventriculi amplificata invenisse. 30) Bleuland in cadaveribus quorundam Cardialgia affectorum et hoc morbo oppressorum, stomachum uno loco ita coarctatum invenit, ut in duas partes divisus esse videretur. In aliis quibusdam omnino contrarium, amplificationem dico ventriculi, ut causam Cardialgiae occasionalem animadvertebant, de qua re consulendus Giller in Act. Helvet. Vol. III. Pag. X. et Portal. Quod saepe scirrhi, non Pylori solum et Cardiae, sed in aliis quoque ventriculi partibus inter duas ejus tunicas existentes, Cardialgiam provocabant, multis omnium medicorum documentis demonstratum, praesertim nobis communicatis observationibus Cl. 31) Boneti, 32) Portali et Dr. Hederichi (in Horni Archiv 1822. Pag. 289). 33) Erosiones, compressiones, et perforationes stomachi sponta-

29) *Vide: Ratio medendi. Tom. I. Pag. 226—27.*

30) *Vide: Bleuland de difficili alimentorum ex ventriculo in duodenum transitu. Pag. 127.*

31) *L. c. Obs. XIII, XX, so wie unter den Ad-ditamentis die Obs. IV.*

32) *Vide: Cours d'Anatomic medicale ou Elemens de l'Anatomie de l'homme par Anton Portal. Paris 1804.*

33) *Acta Natur. Curios. Vol. IX. Obs. XXX.*

neae, rarae quamquam, maxime tamen dolendae, Cardialgiae causae sunt, eoque magis, quod, etiamsi revera intra vitae spatium perspiciuntur, therapeutico modo iis mederi non licet. Situs stomachi praeternaturalis, Herniae ventrales, indurationes et liquescentium dissolutio ejus membranarum, haud raro Cardialgiam commovent, de quibus plura exempla in Ephem. Nat. Cur. afferuntur.

Inter vitia organica ceterarum corporis partium, multa sunt, quae, si in ampliori gradu existant, persaepe et facile Cardialgiam excitant, ita ut fere diceres: nullum exstare circa stomachum instrumentum, cujus status morbosus, praesertim quum in structura jam et textura vitiosa constitutus sit, Cardialgiam haud raro non excitasset. Ad has desorganisationes pertinent:

Dilatationes Venae portae sanguinis stasi in eadem excitatae, stagnationes atrobilariae, scirrhi, vomica, commutationes hepatis in osseam speciem quas 34) Zacut. Lusitanus, 35) Bonet, Panorolus in cadaveribus observabant. Bonetus quoque ex arctissima conjunctione putridi hepatis cum Diaphragmate, et ex pressu ejus in stomachum, aequae ac concretionem hujus organi cum ventriculo, crebram Cardialgiam enatam se vidisse, affert. Haec destructiones saepe in liene quoque reperiuntur. Quam multi homines a vehementissimis Cardialgiis excruciatum conspiciuntur, quarum causa, dum vivebant, haud intellecta,

34) *Ephemerid. N. C. Cent. II. Obs. 90.*

35) *L. c. Obs. 63. §. 5.*

ex obductione demum apparuit, ³⁶⁾ ut Bonetus in cadavere Cardialgia mortui aurifabri cujusdam Scirrhum Pancreatis, qui Mesenterii simul partem Jejunique et Pylorum occupaverat, causam Cardialgiae animadvertit. Processus etiam xiphoidaeus nonnunquam introrsum flexus offenditur, quo stomachus irritatus et ad affectiones spasmodicas fit pronus. Eodem modo se cordis vitia organica habent, e. g. impressio permagni cordis in ventriculi orificium. Utrum vero Cardialgia in aliis morbis cordis per consensum tantummodo inter stomachum et cor excitetur, an vehementissimae accelerataeque cordis pulsationes ventriculum irriterent, an modum excedens denique cordis actio turgori stomachi vasorum causam fortasse praebent, alius quivis iudicet. Haec ad rem propositam sufficient.

DE VARIO NOSTRI MORBI EXITU, EJUSQUE PROGNOSI.

Ut omnes quoscunque morbos vel in valetudinem transeuntes, vel in alios morbos se commutantes, vel morte denique finitos, ita et nostrum hunc morbum variis his modis terminatum videmus.

Cardialgia tum vi naturae medicatrici, tum congruo artis auxilio in valetudinem sese commutat; idque quando ejus symptomata non erant vehementissima et violentissima, causaeque eam excitantes, non magni erant momenti, aut facile saltem removeri poterant, v. c. saburra prima-

36) *L. c. Obs. 20.*

rum viarum. Provecta jam aetate, Cardialgia, paroxysmis rarius semper exstantibus, ultro persaepe cessat; quod Schmidtmannus crebrius observabat, quodque facile intellectu est, quum, diminuta irritabilitate ac sensibilitate totius corporis, ideoque stomachi, praedispositio ad hunc morbum desinat. Morbus etiam apto artis auxilio, multis diversisque, secundum variam mali indolem et causas, modis prospere cedere potest, fluxu modo menstruorum, lochiali vel haemorrhoidali renovato, si ejus suppressio morbum excitaverat, urina modo et sudore critico vel vomitu, talique Diarrhoea exortis. Arthritide, Rheumatismo, vel Exanthematibus laborantes, hisque, vel propria culpa vel neglecta cura praepropere liberati, istorum malorum loco a vehementissimis Cardialgiis corripuntur, quae quidem subito cedunt, si rursus Arthritide vel rheumaticis affectionibus afficiuntur, vel Exanthemata, ut Scabies, herpes etc., erumpunt.

Quod vero transitum morbi nostri in alium attinet, praesertim ille a vehementiae, intensitatisque gradibus, a breviori ipso diutiorique morbi perduratione et ab individua corporis constitutione denique hominum hoc morbo affectorum dependet. Ad exemplum afferendum, Cardialgiam, ut in maxima vehementia nobis apparet, demonstramus. Qua revera existente, facile cuique apparebit, quantum crebris et diu durantibus violentisque contractionibus fibrarum muscularium stomachi libera humorum circulatio in ejusdem vasis impedita esse debeat, ita ut sanguinis stases in iis existant et inspissationes, indurationes ventriculi membranarum et

Scirrhi excitentur. Hae violentae contractiones stomachi, quibus humorum circulatio retardatur, ad explicandam Haematemesin, saepius vehementissimas Cardialgias sequentem, sufficere videntur, quamquam ignotum non est alio quoque modo eam explicari posse; in quibusdam scilicet casibus ruptura stomachi vasorum, quae Haematemesin provocat, adesse potest. Cardialgia aegrotantes quum saepe cibos jam susceptos evomeant, Nutritio et Restauratio magnum capiat detrimentum, neceesse est. Siquidem vomitus deest, subactio et concoctio tamen maxime patitur, fibris muscularibus stomachi per violentissimas creberrimasque contractiones omnem amitentibus energiam, processibusque supra memoratis non tam inservientibus, quam in statu normali. Quare, morbo nostro per longius temporis spatium perdurante, aegrotorum habitus collabitur, alvus inflatur atque expanditur, obstructio apparet, et demum tum febris hectica, tum Hydrops. Stomachus, quum arctissimo cum cerebro sit conjunctus consensu, (quod supra jam memoravimus) et ab animo quisque dolor primum percipiatur, in aegrotorum animos etiam vim quandam exerceat, irritatos eos atque morosos et ad Melancholiam pronos reddat necesse est. Interdum etiam Cardialgia in Phthisin pulmonalem abit, qui transitus vero et perrarus et a paucis tantummodo auctoribus observatus est, intimaque conjunctione et consensu stomachi nervorum cum pulmonum nervis explicare potest.

Morte morbus noster in Paroxysmis, vel vehementissimis acerbissimisque doloribus (quod quidem raro accidit) interdum finitur vel vio-

lenta spastica stomachi membranarum contractione, in parvum locum circumscripta ruptura ventriculi tunicarum mechanice efficitur; quod 37) Desgranges in virgine quadam A... in vico St. Prex orta atque viginti et quatuor annos nata sese observasse, nec ullam, sectione adhibita, inflammationem aut gangraenam ventriculi, sed pallidiorum, quam esse solet, stomachum, invenisse dicit. Mors, rarissima quamquam Cardialgiae finis est, saepius tamen aegrotos opprimit, cujus rei 38) Heisterus, ille exemplum affert, quo ingenti circum Cardiam cumalata vermium multitudine, aegrototo convulsionibus generalibus correpto, infelix parabatur Cardialgiae exitus. Et a 39) Riedlino talis casus observatus est. Aliàs mors, exitu demum morbi nostri, inflammatione scilicet, exque eadem gangraena ventriculi orta, vel aliis quibusdam morbis, ex diuturno Cardialgiae decursu provocatis, adducitur, inter quos praecipue scirrhus et carcinoma ventriculi, vomitus cruentus, hydrops, Febris hectica etc. adnumerantur.

Cardialgiae finibus ita explicatis, ut Prognosin sibi quisque facile constituat, reputemus tantummodo, qui et quales cujusque Cardialgiae status et considerationem medici et curam postulent. Morbum nostrum, quamvis non periculosissimum esse malum concedamus, a nullo tamen medico levior haberi debet, quum aut

37) Vide: *Journal général de Médecine*. Aout 1827.

38) Vide: *Dr. Laurentius Heister's medicinische, chirurgische und anatomische Wahrnehmungen*. Rostock 1753. S. 614 — 16.

39) Vide: *Lin. med.* 1700. Pag. 517.

neglectus, aut male curatus, tristissimos afferat effectus, qui in omne posterum tempus miserriam parent vitam. Semper morbus diutius perdurans multa curae impedimenta offert; quanto enim Paroxysmi crebrius exstant, eo magis sensibilitas augetur, et ita perversa degenerat, ut levissimae quaeque causae, immo blandissimaeque Diaeta malum excitare et augere possint. Dolorum quoque impetus, quanto diutius permanent, eo vehementius excruciant, et Cardialgia inveterata curatu semper difficilior est. Ceterum Cardialgiae Prognosis tum a causis, eam moventibus, tum a constitutione individualitateque aegrotorum, tum a temporis denique spatio, justaque morbi Diagnosi atque cura proficiscitur, quarum ambae maximam afferunt difficultatem, quum morbus hic saepissime cum aliis complicatus sit. Ubi Cardialgiae causae nequaquam removeri possunt, ut ventriculi degeneraciones et vitia organica tum intestinorum tum pectoris viscerum, parva modo sanitatis restituendae spes medico supererit. Eundem fere etiam exitum praesagimus, si venena deglutita aut exanthemata suppressa, Dysenteriae, Arthritis, nonnunquam etiam si Rheumatismi, sanguinis profluvia oppressa hunc morbum excitaverunt. Maximam restituendae sanitatis spem Cardialgia congestiva praebet, minorem jam inflammatoria, quae interdum in Gastritidem ipsam abit. Cardialgia nervosa omnium pertinacissima perniciosissimaque est. Gravissima est Prognosis, si Cardialgia ad acutos et morbos chronicos, praecipue ad febres acutas tum continuas, tum remittentes accedat,

quare 40) Hippocrates jam monet: magnum circa ventriculum ardorem et acerbam quandam mordacemque sensationem in corde, ominosa esse februm signa. Utrum Cardiae dolor, aetate provectis jam hominibus, saepius iteratus, repentinam mortem afferat, ut 41) Weberus dicit, nec ne, id alius quivis dijudicet. Si morbus in longum sese producit, eximiumque vehementiae gradum assequitur, ne in quosdam supra nominatos morbos transeat, semper timendum est. Perniciosissimae autem sine dubio Cardialgiae sunt, quarum accessiones cum convulsionibus, spasmis aliarum partium, nimio frigore, tremoreque totius corporis vel extremitatum saltem, Lypothymia, aliisque periculosissimis symptomatibus conjunctae sunt; quo crebrius enim hae accessiones, easdemque comitantia symptomata apparent, eo celerius vitam finire necesse est. Cardialgiae inveteratae, aequae ac haereditate contractae, aut congenitae semper malam tantum Prognosin patiuntur; quae quum etiam non semper mortem contrahant, saepissime tamen insanabiles sunt.

MEDENDI RATIO.

Cura secundum diversam a nobis positam Cardialgiae indolem diversa esse debet, quare in curam Cardialgiae inflammatoriae, congestivae et nervosae dividitur, quarum omnium cuique ut mihi videtur, tres indicationes attribui possumus et debemus, quarum prima

40) Hippocrates Aphor. Sect. IV. Aphor. 65.

41) Vide: Weber de causis et signis morborum. Tom. I. Pag. 97.

in removendis causis vel morbum excitantibus vel augmentibus saltem, secunda in leniendis Paroxysmis, et tertia in medendo ipso morbo (i. e. in removendis causis occasionalibus, praedispositioneque delenda) consistit.

I. CURA CARDIALGIAE INFLAMMATORIAE.

A. Quod ad primam indicationem explendam, remotionem scilicet causarum, morbum vel excitantium vel augmentium saltem, attinet, res semper magnopere difficilis est medico, interdum etiam extra ejus vires posita, quia causae occasionales, quae semel vim exercuere, effectum tantummodo relinquentes, saepe nimis facile revertantur, aut quia plures causae (quod interdum fit) uno eodemque tempore, difficilesque inventu aderant, ut plus minusve inveteratae aegrotorum consuetudines, a quibus vel invito abstineant se aegroti, vel omnino eas medico reticeant. Nihilominus tamen, quantumcunque in hac re molestia sit, medicus caveat, ne causae renouentur, sed potius diminuantur; ergo ad indicationi satisfaciendum, regimen necessarium praescribat oportet, et omnia actionem systematis vasorum augmentia alimentata, aequae ac excitantia, salsa, acrida, peracida interdicit, blandissimam contra atque tenuissimam Dietam commendat; nam quantitas quoque ciborum maximi est momenti, quum exiles quantitates, ut omnibus est notum, exiliorem quoque stomachi ad concoquendum exposcant actionem, itaque ad stomachum irritandum minus idoneae sint.

B. Regimen et ipsorum Paroxysmorum sedatio.

Quum omnia symptomata indolem vis vitalis adauctae prae se ferant, ut in Gastriciade ipsa, totus etiam apparatus antiphlogisticus indicatur, certe tamen non eum in modum, quo in illa, quum symptomata morbi nostri nec tantam intensitatem nec extensionem talem adipiscantur. Raro igitur evacuationes sanguinis communes ibi indicentur, saepius contra locales, et quidem hirudinibus modo, modo cucurbitis applicatis, praesertim, quando dolores magis continentes et perdurantes, acuti et acerbissimi, jam levissimo quoque pressu in regionem ventriculi, inspiratione et usu omnium fere alimentorum augentur. Post evacuationes sanguinis in casibus acutis adhibitas, et cataplasmata fomentationesque ventriculo adplicatae, et clysmata leniter aperientia et demulcentia, magnam sibi acquisivere famam, ut in Cardialgia inflammatoria chronica Sinapismi, Vesicatoria et ipsi fonticuli in gravissimis pertinacissimisque ejus casibus. Cum hac curatione externa, in casibus acutis interna etiam conjungitur, quae in porrigendis emulsionibus, solutionibus Pulpae tamarindorum Natri nitrici aut Kali acetici in vehiculis mucosis, atque pulveribus aerophoris etc. consistit. Ubi post haec medicamenta symptomata inflammatoria minori in gradu immutata permanebant, Hydrargyrum muriaticum mite cum Extr. Hyoscyami in exiguis dosibus, eximia erat utilitatis, aequae ac in casibus, quibus magna tunicae villosae ventriculi sensibilitas restat, varii Linctus oleosi et mucilaginosi peritiles apparent.

In Cardialgiis chronicis inflammatoriis prospero eventu Extracta dissolventia, praesertim Extractum taraxaci et graminis (aa ʒij) usque ad ʒʒ cum mitioribus salibus ut Natro phosphorico vel Kali acetico, adhibita sunt. Paroxysmis ad Crisin, ut necesse est, adductis,

C. Morbus ipse curandus restat. Cujus quidem curatio in tollenda praedispositione, removendisque causis occasionalibus, directe morbum excitantibus, consistit, quo etiam Cardialgiae inflammatoriae causa proxima, ex his duobus factoribus composita, tollitur. Praedispositio hujus indolis Cardialgiae vero in nimia ventriculi irritabilitate consistit, qua etiam paulo post sensibilis ejusdem commutatur, quare; ut omnia diminuuntur, quae ad eam augendam conferre possint, quam maxima adhibenda est cura. Eadem igitur praecepta, quae in prima indicatione jam allata sunt, adhibeantur, et regimen aptum praescribatur. Magni ponderis quoque remotio est causarum, quam vero, quod sane dolendum, rarissime medicus assequitur. Cura igitur morbi nostri ita multiplex et diversa esse debet, ac causae sint multiplices. Brevissimis tantum praecipuas quasdam causas; Cardialgiam inflammatoriam excitantes, et genus modumque easdem removendi perlustremus.

Cardialgia inflammatoria, ut jam in Aetiology memoravimus, ex suppressis exanthematicis saepe proficiscitur, tum acutis, tum chronicis, et ex male curatis Rheumatismis et Arthritide. Quae cum ita sese habeant, omnia remedia adhibenda sunt, quae quam celerrime

oppressam perspirationem cutaneam restituere, Rheumatismos Arthritidemque denuo elicere et in easdem quas reliquere, partes, reducere possint; quare interna et externa remedia diaphoretica: ut exiguae Camphorae doses, Extr. Aconiti, Pulv. Doveri, Guajacum, Vinum. ant. Huxh. Spiritus Mindereri, Sulphur, Sal vol. C. C. et alia. Ad remedia externa pertinent: calefactae leporum canicularumque pelles, Sinapismi, Vesicatoria, Unguentum ex tartaro stibiato, Moxae, et cujusque generis balnea. In Cardialgia inflammatoria, causis jam supra memoratis excitata, casus acuti et chronici, reactionisque status semper respiciendi sunt.

Pedum sudores suppressi, si causam praebant, denuo excitandi, tum calidis pedum tegumentis, tum iteratis calidis pediluviiis, quae etiam acuuntur adjecto sinapi, cinere, Soda etc. Soleae quidem e panno cerato aut ex albo ⁴²⁾ betulae cortice paratae maxime commendantur, vel etiam tibialia in interno latere pulvere sinapeos conspersa, aut Emplastrum foetidum Schmuckeri supra linteum crasse expansum plantaeque pedis suppositum. Interna secundum ⁴³⁾ Lentinum remedia diuretica praebantur, Aqua calcis, Sapo medicatus, etc. extrinsecus linimentum diureticum applicetur.

In Mensium Anomaliis, e. g. in Mensibus retentis et suppressis, ut in fluxu haemorrhoidali suppresso, tota medendi ratio id praecipue spectare debet, ut quam celerrime reno-

⁴²⁾ Vide: Richters Therapie. Bd. IV.

⁴³⁾ Vide: Encyclopädisches Wörterbuch der medicinischen Wissenschaften. Bd. VI. Pag. 713.

ventur; quare evacuationes sanguinis tum generales, tum topicae ad genitalia, ad anum, vapores ad eadem loca, Pediluvia, Insessus, interne ea remedia, quae virium statui apta sunt, itaque modo antiphlogistica modo excitantia necessaria sunt.

Medicus hoc modo praedispositionem et causas occasionales tractans, certe, paucis exceptis casibus, prospero eventu gaudebit.

II. CURA CARDIALGIAE CONGESTIVAE.

Easdem indicationes hic habemus, quas in Cardialgia inflammatoria.

A. Primae earum, causarum scilicet evitanti, satisfacimus, cum hic quoque regimen dieteticum, cuicunque statui respondens, praescribamus, quare talibus aegrotis, ut Schmidtmannus etiam fecit, usum Coffeae, Theae chinensis, praesertim fervidae omniumque potuum excitantium, omnino interdiceret, et vitam sedentariam cum activa, nimiam nutritionem commutare cum tenui, iis persuadere nos oportet.

B. In explenda secunda indicatione, in apta scilicet cura et impetuum sedatione, iisdem fere utimur remediis, quae in Paroxysmis Cardialgiae inflammatoriae adhibuimus, maximam tantum in eligendis iis diligentiam observantes. Hic cum optimo eventu, pulveres aerophoros, et subacida-mucilaginosam medicamina praebuimus. In quibusdam casibus Cardialgia congestiva sumtis cibis statim excitatur vel augetur; ubi, dolores si ferventissimi sunt generis, semperque cum caloris sensatione quadam et gena-

rum rubore conjuncti sunt, secundum Sahmenii Cl. consilium, adhibito frigore optimos successus ipse quidem expertus sum. Aegroti vel aquam frigidissimam haurire, vel glaciei pilulas deglutire jubentur; Vogelio auctore Epithemata quoque frigida in ventriculum applicantur, dum aegrotus eodem tempore tepido pediluvio utitur.

C. Tertia indicatio, morbi ipsius curatio. Eodem modo haec instituitur, quo in Cardialgia inflammatoria. Ubi praedispositio in statu vasorum nimis solum irritato constabat, saepius ex iterata et majori humorum jactura, orto, acida mineralia, Elix. vitriol. Mynsichtii et Elix. acid. Halleri maximae erant utilitatis, aequae ac Acidum boracicum. Quod si vasorum debilitas adest, remedia tonica et adstringentia locum certe habent; quo vero in casu Autenriethius Ferrum sulphuricum prospere adhibuisse videtur. Causas quidem, congestiones ad ventriculum commoventes, si possint, remove studendum, quare in prima indicatione allatum et praescriptum regimen, quoad totam vitae rationem, aegroti obsequantur necesse est. Praeterea affectiones morbosas, si quando causam occasionalem praebuerint, tollere aut coercere saltem conamur, qua de causa in malis cordis, Cardialgia congestivam saepius excitantibus, jam a primo initio antiphlogisticam sanandi rationem sequimur, salia praesertim tartarica posteaque digitalem purp. Extr. Lactucae virosae, adhibentes. Eodem modo et alios, si causam dabant, tractamus morbos.

III. CARDIALGIAE NERVOSAE CURA.

A. Primae indicationis explendae ratio, evitare causas occasionales, medico hic multo difficilior est, quam in prioribus Cardialgiae, speciebus, quum omnis generis influxus psychici, ut sollicitudo, moeror, curae tam crebri Cardialgiae nervosae praebeant causam, qui illic saepe omnino desint et quos aegroti cum medico communicare vel nequeant vel nolint. Saepe etiam in potestate medici non est, causas, quarum effectus Cardialgia crebro subsequitur, coercendi, quod haud raro in nimio ⁴⁴⁾ Veneris usu et masturbatione accidit, ubi bona tantummodo et fortis aegrotorum voluntas aliquid efficere potest. Multis in casibus, causae, etiamsi aliae sint, quam modo nominatae, obscurae tamen manent; et tum quidem omnino aptum diacteticum et psychicum regimen a medico praescribendum. Ubi causas adesse jam monitas suspicatur, maxima ope enitatur medicus, animum aegrotorum ab iis avocare et exhilarare, jucundas et leves scilicet lectiones, animi cogitationem haud exigentes, crebri hominum consuetudinem, quacunquē ratione bonam tantummodo et salubrem in eos vim habentium, commendans. Leves et aptae tum corporis tum animi occupationes, sorti eorum respondentes, motiones sub puro serenoque aëre, rusticatio, si antea in urbe degebant, crebra itinera multum ad morbum sanandum valent. Ubi mores corrupti obstant, de

⁴⁴⁾ Vide: *Hufeland's Journal der practischen Heilkunde. Berlin 1827. Bd. LXX. St. VI. Pag. 61.*

eorum obnoxitate aegrotos convincamus, necesse est. Dietam, ubi haec causam praebet, virium concoctionis semper accomodatam statuendam esse, res ipsa docet.

B. In observanda secunda indicatione, apto scilicet regimine et sedatione accessuum, cura nostra id maxime spectare debet, ut perversa vel aucta nervorum ventriculi sensibilitas, ex qua omnia symptomata et contractiones ventriculi spasmodicae (in quibus, ut supra dictum, multi auctores, causam Cardialgiae proximam quaerunt), proveniunt, quam celerrime leniatur. Ad hunc finem asequendum Materia medica magnam medicamentorum copiam offert, sic dicta Nervina, quae tamen, ut mea fert opinio, in omnibus casibus adhibere non licet, et in quibus eligendis cautiores nos esse oportet.

Remedia sedantia ut Olea et Mucilagines in Cardialgia nervosa post Gastritidem ipsam aut Cardialgiam inflammatoriam, superstite, adhiberi posse existimo.

Mixtiones aerophorae in Cardialgia nervosa, praesertim e congestiva evoluta, maxime sunt commendandae. Quibus in casibus Cel. Salmenius, quae est experientia, Acidum boracicum cum Extracto Valerianae, in pilulas formatum, utile censet.

Nunc remedia, Nervina sensu strictiori appellata, quae in medenda Cardialgia nervosa, excimiam sibi paravere famam, diligentius accuratiusque perlustremus. Ad quae pertinent:

1. Noces vomicae, quibus Linnaeus primus contra Cardialgiam nervosam usus est, quae-

que secundum 45) Hufelandii clarissimi viri sententiam celerius etiam quam Opium et praestantissima Narcotica, dolores spasmosque remouent. Omnino cum Hufelandio 46) Schmidtmanus consentit, qui, se eas omnium, quae praescribi solent contra Cardialgiam nervosam, remediorum, quasi basim putare dicit; casumque quendam profert, nuce vomica solummodo curatum. Dosis earum in pulveris forma, apud adultos duorum granorum (Grj) est, quae usque ad grjv et ultra augebatur; Extr. Nuc. vomic. initio Grj omni biat trihorio porrigebat.

2. 47) et 48) Opium, tum in Paroxysmis Cardialgiae nervosae, quando symptomata magnam minantur periculum, subitamque exposcunt levationem, tum in omnibus casibus, qui nullam admittunt curam radicalem, maximam assecutum est laudem. Semper vero caute et maximo periculo jam imminente tandemmodo adhibendum, medicumque justa ratione eo utentem rarissime fallit.

3. Moschus, Asa foetida, Castoreum, Sal. C. C., Radix Valerianae, quae valida remedia a multis autoribus laudata, tum praecipue praebenda sunt, si dysharmonia totius systematis nervosi adest, aut si Cardialgia nervosa Hypochondriae vel Hysteriae symptoma exstat.

45) Vide: *Hufeland's Journal der practischen Heilkunde*. Vol. I. Pag. 124.

46) Vide: *l. c.* Pag. 212—214.

47) Vide: *Archiv für medicinische Erfahrung*, von Dr. Ernst Horn. Berlin 1807.

48) Vide: *Wenceslai Trnka de Krzowitz Historia Cardialgiae*. Pars II. Cap. VI. Pag. 256.

4. 49) Bismuthum nitricum oxydatum album seu Magisterium Bismuthi, de cuius medicaminis in Cardialgia efficacitate varii auctores variae sunt sententiae. Ab Odier, Baume, Carminati, Hufelandio valde laudatur; Schmidtmannus contra et 50) Jahnus se nullum egregium ejus vidisse successum contendunt. Mihi ipsi occasio et data in duabus jam inveteratis Cardialgiis, quarum altera tres, altera jam quatuor annos duraverat, hoc medicamen adhibendi, nec possum quin cum 51) Odier et Baume consentiam. Quarum in utraque, spasmodica ventriculi contractio, ingentes vomituritiones, ructus, et maxima anxietas aderant. Hujus medicaminis bihorio praescripsi Grj p. D., et post biduum gravia symptomata jam cessaverunt.

5. Ferrum subcarbonicum 52) (sous carbonate de tritoxyde de fer) quod a Trouseau et Bonneto Parisiis in forma pilularum ℥j cum congrua Liquiritiae Extracti quantitate, ex qua C. pilulae formari debent, ita adhibitum est ut una vel duabus pilulis initio datis, quotidie hic numerus una rursus vel duabus augetur. Quod medicamen optimi erat eventus.

49) Vide: *Allgemeines Repertorium der gesammten deutschen medicinisch chirurgischen Journalistik*, von Dr. Carl Ferdinand Kleinert. IV. Jahrgang. V. Heft. May. S. 78.

50) Vide: *Heilmittellehre*. Vol. II. Pag. 1091.

51) Vide: Odier, Baume in *Hufeland's Annalen der französischen Arzneykunde*. Vol. I. Pag. 351.

52) Vide: *Archives generales de Medicine Journal publié par une société de Medecins*. T. XXIX. Aout 1832.

Laudatur a Trousseau praecipue in Cardialgia ex diathesi chlorotica.

6. Zincum oxydatum album solum pro se nullam fere habebat vim in quodam a me observato casu, cum narcotico autem remedio ut Rad. Belladonn. conjunctum, maximae erat utilitatis.

7. Aqua Laurocerasi plerumque in Cardialgiis nervosis, sic dictis immaterialibus, aequae ac Cardialgiis, quae ex ventriculi stasibus sanguineis existunt, maxime approbatur.

8. Minoris momenti mihi esse videntur: Vinum generosum a Riedlino probatum, Herba Menthae piperitae, Flores Chamomillae a Fr. Hoffmanno commendatae. Camphora a Dr. Fried. Bird Reasiae cum optimo successu in Cardialgia quadam, post coitum semper redeunte, adhibita est. Alias etiam ac Naphthae, praemissa apta cura, in Cardialgiis suppressa et in ventriculum repulsa Arthritide, excitatis, gravissimum utilissimumque est remedium. ⁵³⁾ Balsamum sulphuris anisatum ab Authenriethio laudatum Sahmenius Cel. in Cardialgiis nervosis, praecipue operariorum, in quibus vel maximis laboribus, vel perspiratione cutanea turbata, excitabantur cum fructu adhibuit.

Ad externa Cardialgiae nervosae medicinae pertinent:

1. Rubefacientia et vesicantia in regionem epigastricam applicata. 2. Inunctiones epigastrii ope ungt. ex tartaro stibiato, nervini etc. 3. Emplastrum ad regionem ventriculi ex Empl. foe-

53) *S. medicinische und chirurgische Bemerkungen von Dr. Moritz Gerhard Thilenius. I. Theil. S. 203.*

tido, de Galbano-crocato etc. 4. Fomentationes siccae, calidae ex speciebus aromaticis ad epigastrium. 5. Balnea tepida, mera, aromatica. 6. Electricitas. 7. Galvanismus. 8. ⁵⁴⁾ Magnetismus, vetus quidem sed diu neglectum medicamen a Cl. Tissot in Cardialgia nervosa immateriali experimentis habitis, denuo est probatum. 9. Applicatio acupunctureae, quae quidem peraro, apud nos autem nunquam fere exercetur.

C. Indicatio tertia: morbi ipsius cura. Remotis jamjam periculosissimis gravissimisque symptomatibus memoratorum supra remediorum ope, ad ipsam morbi curam transeamus. Remedia in Paroxysmis efficacia in intermissionibus quoque Cardialgiae nervosae adhibita curam radicale efficere possunt, quum adaucta nervorum ventriculi sensibilitas, si modo a materialibus causis profecta non est, eorum ope in statum normalem redigatur. Cum his, primae indicationis praecepta jungenda sunt. Ubi nihilominus morbus perdurat, causae ejus in ipso saepe Organismo sitae, observari debent. Si Cardialgia e. g. vermibus (seu in stomacho seu in tractu intestinorum inferiori) producitur, Anthelmintica indicata sunt; si vero ex ipsa concoctione debilitata provenit, remedia aromatica et amara utilissima inveniuntur. Ubi nimiae ventriculi cum cibis repletiones et bilis in eum effusa causae erant, Emetica locum habent, aequae atque in Cardialgia nervosa acido gastrico producta, huic

54) *Vide: Commentarii de rebus in scientia naturali et Medicina gestis. Vol. XXXII. Pars I. Pag. 17. Andry et Thouret disquisitiones et observationes de usu magneti in Medicina seu de Magnetismo.*

statui opposita remedia, absorbentia dico, adhibeantur. Quod si stases in circulatione abdominis exstant, resolventibus remediis, ut Extracto taraxaci, graminis, Chelidonii etc. cum variis salibus, Tartaro tartarisato, Kali acetio etc. utamur. Difficillima autem cura morbi fit, si vitia ventriculi organica, vel aliarum corporis partium, eum excitabant. Si ulcera stomachi adsunt, et medicus exploratam sese habere Diagnosin existimat, blandissimam diaetam, e. g. diaetam lacteam praescribat necesse est. 55) Thilenius hic crebrum albuminis usum commendat. Ut jam supra commemoravimus, haud raro Cardialgia ex scirrho ventriculi vel Pancreatis proficiscitur. Qui quidem Scirrhi, cum inflammatione chronica plerumque provocentur, (cujus sententiae plerique sunt auctores), inde ab initio antiphlogistice sunt tractandi; sin et antiphlogistico apparatu nondum coercentur (ideoque etiam morbus noster pertinacior redditur) ad remedia, illis praesertim opposita et recommendata, Radic. Belladonnae dico et Ferrum carbonicum quod tamen periculo non vacat, refugium patet; imprimis vero Magister. Bismuth. et alvum constrictam aperientia plurimum levaminis afferunt. In hisce quoque casibus, ut omnino in Cardialgia, quam maxime adhibendam esse diaetae curam, silentio praeterire licet. Cura saepe confirmans per longius temporis spatium continuata, ad perficiendam Cardialgiae nervosae curationem, per-necessaria est, quae tamen secundum diversas modo memoratas causas valde etiam diversa instituantur oportet.